

avenae, in Choza IIII modios siliginis et totidem avenae Haynensis mensurae, in Grobere X modios siliginis et totidem avenae Misnensis mensurae. Et ne de his imposterum alicui dubietas oriatur, praesentem paginam nostri sigilli munimine roboratam eidem ecclesiae dedimus ad cautelam. Testes autem sunt Theodricus maior praepositus, Guncelinus decanus, Lutherus canonicus, Wipertus canonicus et alii quam plures. Acta sunt haec in Misna anno domini M°.CC°.XIII°. pontificatus nostri anno tertio, indictione prima.

Nach dem Chartularium monasterii s. Afra II. 48 in der K. öffentl. Bibliothek zu Dresden. — Wegen der in demselben Jahre dem Stifte bestätigten Marienkirche in der Stadt s. oben No. 3.
Ursinus St. Afra S. 120 f.

No. 153. 1223. 9. Febr.

B. Bruno II. cignet der Afrakirche Getreidezinsen in Grumbach, welche der Kleriker Gottfried gen. Gutmann ihr geschenkt hat.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bruno II^{us} dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus. Quoniam de iis quae terrena sunt nihil praeter ea, quae homo propter coelestia deo commodat elemosinas largiendo, ad salutem perpetuam noscitur pertinere, ut et nos ex iis quae transitoria sunt nostro creatori pro nostris negligentibus reconciliari possimus deo servientibus consilium et auxilium ministrando, ut per temporalia commoda fulciantur et nobis impetrent sempiterna, notum sit Cristi fidelibus universis tam praesentibus quam futuris, quod cum Godefridus clericus Gutmannus cognomine viginti modios siliginis et avenae in villa Grömbach^{a)} in territorio Niseni sita in V^{no} mansis, quos ibidem Boröwi miles honestus habebat, a nobis in beneficio possedisset, et cum idem G. clericus memoratus iter sibi de nostro consilio voluisset facere de transitoriis ad aeterna, modios supradictos bona largitate et hilari ecclesiae sanctae Afrae in Misna cum omni integritate ad manus nostras publice resignavit eos ad eandem ecclesiam conferendos, ita ut ob reverentiam gloriosae virginis ac martyris Katherinae in ipsius festo praefatae ecclesiae fratribus servitium exhibeatur competens et honestum, et post decessum largitoris eiusdem clerici iam praedicti de modis iisdem memoria annua celebretur, nos eosdem modios cum omni fructu qui nunc inest vel inesse poterit in futurum ecclesiae contulimus iam praedictae, et ut nostri memoria non transeat apud ipsam, pacem ei dei omnipotentis et nostra auctoritate firmantes firmiter inhibemus, ne quis in iure sibi collato ipsam ecclesiam molestet aliquatenus aut perturbet. Quod si quis attemptaverit, divinae ultionis et nostrae excommunicationis sententiam se noverit incurrisse. Ut autem haec nostra donatio rata permaneat in futurum, praesentem paginam inde conscribi et sigilli nostri testimonio mandavimus roborari. Actum Misnae V° idus Februarii anno domini M°.CC°.XXIII°. pontificatus nostri XIII°. Huius rei testes sunt Petrus Misnensis ecclesiae decanus, Nicolaus Budesinnensis praepositus, Johannes notarius et scolasticus Budesinnensis, Albertus ecclesiae sanctae Afrae praepositus, Johannes et Johannes et Albertus eiusdem ecclesiae confratres, Wolfwinus miles, Hermannus

a) Grumbach bei Wilsdruf.